



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 3. Continuatur Solutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

trinfeca. Et licet Deus si consideretur secundum prædicata essentialia, non plus connectatur cum existentia lapidis, quam cum ejus non existentia extra circumstantiam suppositæ v. g. existentia lapidis, secus in dicta circumstantia; essentialiale enim est Deo, si supponatur circumstantia existentia lapidis, ut dicat illum existere, alias non esset omniscius. Unde ulterius dicitur, non minus Deo esse intrinsecum cognoscere, quam nobis; sed non æquè intrinsecum Deo liberè cognoscere; quia liberè cognoscere dicit posse non cognoscere; in Deo autem nihil est, quod in illo potuerit non esse; secus in nobis. *Ad alias objectiones solvendas*

NOTO 1. Hos actus, volo mundum, non volo mundum: Item, Cognosco existere mundum, non cognosco existere mundum, aliosque similes, posse se compati in divina voluntate, vel intellectu; quia hi actus nec re, nec ratione sunt contradictorii; quia re non sunt contradictoria, quæ re non sunt duo; contradictio enim duorum est: nec ratione, quia non erunt respectu ejusdem, & ratione ejusdem circumstantia, ordinis, &c.

NOTO 2. Actus liber est quidem causa rerum, sed non quæ liber. Ratio, quia quæ liber importat creaturam; quæ seipsam causare non potest: Proficiscitur tamen à causa libera, quia non necessitatur Deus ad agendum.

Unde ulterius non proficiscitur creatura, à causa libera antecederet, sed à causa libera concomitanter; quia in eodem instanti reali, quo liberè aut vult, aut quo præscit liberè, aut causat, respondet effectus, circumstantionando, salvandoque libertatem. Unde ulterius, quando dico; Ideò est mundus, quia Deus vult illum liberè, & ideò vult liberè, quia est, non est circulus vitiosus; quia in priori sumitur actus liber tanquam causa, creatura tanquam effectus; In posteriori autem creatura non sumitur ut causa actus Dei liberi, sed ut connotatum. Et sicut si dicam; Ideò est calefactio, quia est calefaciens, & ideò calefaciens, quia est calefactio, non est circulus vitiosus; Sic & in præsentia.

NOTO 3. Non posse dici in his principiis, quod Deus amet peccatum. Ratio, quia ipsum objectum extrinsecum non est amabile, & si per impossibile illud Deus amaret, deberet prius in objecto, quod est peccatum malitia mutari. Deinde existentia peccati per nos salvat quidem libertatem, ut scilicet dicatur liberè permitti; sed sicut in aliis materiis, ita in præsentia, connotatum non ponet actum in Deo, sed cum circumstantionabit. Unde etiam per nos non aufertur à Deo displicentia in peccato, licet libertas displicentiæ etiam permissionem illius impediens, salvetur ratione extrinseci. Habet autem Deus necessariam displicentiam in peccato, sicut & in unione hypostatica necessariam complacentiam; carentia tamen unio-

nis potest circumstantionare nolitionem unionis, quia ipsa nolitio unionis imperfectionem non ponit in Deo: Sed Deus si haberet volitionem peccati, poneretur in illo imperfectio contraria ejus sanctitati.

Concedimus etiam carentiam peccati, & peccatum esse formas contradictorias; sed nego eosdem actus, & eodem modo circumstantionare; quia peccatum circumstantionatur v. g. actum liberum permissionis titulo causæ primæ, carentia autem peccati circumstantionatur actum efficacem displicentiæ, omnino excludentis peccatum, qui actus non sunt idem formaliter.

Quare autem cum rectum nolitionis mundi habetur in Deo, non denominet Deum nolentem, referendum est in defectum circumstantia; hoc est, non existentiam mundi. Et sicut forme absolutæ subiecto inepto non tribuunt denominationem, ita formæ connotativæ, independentes à connotatis, non denominant.

NOTO 4. Non prius re noscere aliquid Deum, faciendum à se, quam velle; prius tamen ratione; & cum prior sit formalitas modum ponendi objecti representans, posterior volitio adhibendi illius modi; ita semper prior erit scientia, posterior volitio.

NOTO 5. Cum liberè Deus produxerit totum, poterat decrevisse liberè nihil producere; illudque decretum pro connotato dixisset, negationes existentia cujuscumque rei creatæ. Ulterius potest aliquid Deus velle unum idemque, ex motivis contradictoriis in alio ordine, circumstantia, ne contradictoria velit. Caterum ut rectè advertit Rosner, potest Deus facere decretum de nihil omnino producendo ex omnibus omnino motivis, exceptis his, quæ involvunt virtualiter productionem mundi. Unde si dicat Deus; Nolo producere ex omnibus aliis motivis mundum, ut illum producam ex hoc uno solo; tunc ex vi ita circumscripti motivi non potest progredi Deus ad decernendum, quod nihil sit omnino producturus; hoc enim motivum est virtualiter volitio producendi mundum; volitio autem producendi mundi, non potest esse motivum nolitionis producendi mundi.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur solutio.

EXpendenda adhuc sunt Argumenta, quæ edesumuntur ex iis, quæ adfert Haunoldus contra sententiam Aureoli in quantum illa facere possent contra hunc secundum explicandi modum.

OBJICIT 1. num. 335. Hæc sententia non concordat cum principiis receptis Philosophicis. Cuius à natura principium insitum est, cognoscere & velle non esse extra cognoscendum, sed

adæquatè ineffe. Cognitionem & volitionem ex toto genere suo, differre adæquatè ab omnibus illis, quæ insunt substantiis non intellectivis. Item volitionem esse quo ad omnia constitutiva aliquid positivum, existens adæquatè tunc, quando tribuit effectum formalem volentis. Item, quando voluntas ex se indifferens ad volendum alterutrum ex oppositis, se ad unum præ alio determinat, illa determinatio existit tunc, quando est verum dicere, *Nunc voluntas est determinata*. Item causa existens nunc, non denominatur tunc operans, ab operatione futura, sed tantum denominatur operatur. Sicut ergo Deus non dicitur ab æterno creans à creatione futura, ita dicendum esset, Deum non velle ab æterno libere id, quod futurum est in tempore, sed dicendum esset esse voliturum, si ipsa libera determinatio & electio, formaliter quæ talis, non esset ab æterno, sed futura in tempore. Atqui omnia hæc invertuntur in præsentia.

RESPONDETUR. Cognoscere & velle secundum quod sunt Tendentia in objectum & motus ab intrinseco, non sunt extra cognoscendum. Cognoscere tamen & velle, secundum quod dicunt contingentiam terminationemque mutabilitatis, possunt esse extra cognoscendum & volentem, si cognoscens & volens, sit Ens immutabile. Unde etiam cognitio & volitio, secundum quod sunt motus ab intrinseco, differunt adæquatè ab omnibus illis, quæ insunt substantiis non intellectivis, sicque sunt quod positivum, sed quoad rationem contingentis, terminationemque mutabilitatis, possunt esse distincta, nec aliquid positivum. In æternitate recidet, si dicas; Cognoscere & velle non esse extra cognoscendum & volentem, differrent ab omnibus, quæ insunt substantiis non intellectivis, esse item aliquid positivum, secundum id, quod dicit, cognitio & volitio in Re seu pro Subjecto, non autem secundum id, quod dicunt in Obliquo & pro Connotato.

Concedo, quod determinatio existat tunc, quando est verum dicere; nunc voluntas est determinata: Sed hæc determinatio habetur in nostris principiis, quia habetur ab æterno & ipsa Tendentia motusque ab intrinseco, habetur etiam ab æterno connotatio, licet ipsum quod connotatur, non sit ab æterno, non enim universaliter connotationes debent exigere existentiam ipsius quod connotatur; & quia ipsa operatio in operante actu, ipsa creatio Deo creante, exigit existentiam effectus, hinc sine tali existentia tantum denominatur causa operatur, non autem operans. Quia autem ab æterno habetur illa connotatio, licet connotabilia connotatione non habeatur existentia, deo habetur determinatio, quando est verum dicere; Nunc voluntas est determinata. Et

si illa connotatio æquè non haberetur, ut non haberetur existentia connotati, tunc non esset voluntas determinata, sed tantum esset se determinatura. In hoc ergo stabit disparitas, quia nisi adsit præsens actio, non habetur determinativum agentis actu; habetur autem determinatio in Deo, quando voluntas ejus est determinata, nempe motus ejus ab intrinseco & connotatio, terminatioque ad aliquid mutabile.

INSTAT 1. Non potest in hac sententia in sensu proprio verificari, quod Deus decreverit ab æterno, ea, quæ sunt futura in tempore, quod tamen Scriptura sæpius affirmat, & explicat Augustinus de Prædestinatione & gratia cap. 5. & Gregorius lib. 12. Moralium cap. 2. Quomodo autem est perceptibile, quod eadem forma denominet Deum eligentem v. g. & producentem post mundi productionem.

RESPONDETUR. In sensu proprio elegit nos Deus ante mundi constitutionem, quia volitio illius secundum quod dicit tendentiam & motum ab intrinseco, itemque connotationem actualem alicujus temporalis, est verè ab æterno.

INSTAT 2. Hac ratione posset aliquis dicere; Petrum hodie peccare, quando incipit tentari ad peccatum, quod primum cras ponetur: Videturque hæc nostra doctrina opponi doctrinæ sancti Thomæ quæstione 6. de Veritate Articulo 3.

RESPONDETUR. Non posse dici, quod hodie tentatus, peccet peccato cras ponendo, quia non habet hodie motum ab intrinseco & tendentiam in peccatum, cum tamen ab æterno habeat Deus motum ab intrinseco, connotationemque debitam Electi.

Auctoritati sancti Thomæ concedo, quod prædestinatio non importet productionem alicujus effectus temporalis, ut importat v. g. creatio, adeoque quod possit esse prædestinatio ab æterno, non existente prædestinato, licet non possit esse creatio ab æterno, si non existat creatum ab æterno: Poteritque Prædestinatio æterna dicere ordinem, ut loquitur sanctus Thomas, hoc est connotationem, ad aliquid temporale.

INSTAT 3. Imperceptibile videtur, quod scientia & affirmatio in ratione affirmationis, compleatur per aliquid, quod non solum non existit, sed nec unquam existitum est in rerum natura, ut non sunt exstitura objecta rigorosa, scientiæ conditionata.

RESPONDETUR. Affirmationem secundum quod dicit motum ab intrinseco non posse compleri per aliquid, quod non existit in affirmante, secus si sumatur affirmatio, pro terminatione mutabilitatis, ut dictum supra.

OBJICIT 2. Hæc sententia non concordat cum principiis Theologicis. Est principium
T Theo-

Theologicum certum posse Deum ea quæ facit, facere ob fines immediatos diversos, quod hic non potest explicari. Est item principium Theologicum, Deum omnes effectus quos facit, facere cum præscientia conditionata eorum, quæ ex tali effectu sunt eventura.

RESPONDETUR. Sicut fines sunt diversi, ita Deus uno indivisibili actu, connotando diversos illos fines, potest illis moveri, unoque actu scientiæ connotare diversos effectus.

OBJICIT 3. In hac sententia non magis esset vera hæc causalis, ideo mundus est futurus, quia Deus illum vult, ac ideo Deus vult mundum, quia est futurus.

RESPONDETUR. Negando in his principiis à priori esse responsionem & inferendo rationem principii, quasi ideo Deus velit mundum, quia est futurus, volitioque mundi non in ratione motus ab intrinseco & principii, quod applicet omnipotentiam ad producendum mundum, exigit futuritionem mundi, sed ad salvandam illius volitionis contingentiam terminationemque mutabilitatis.

DIFFICULTAS III.

Examinatur tertius modus, explicandi actum Dei liberum.

Antonius Perez, & eum secutus Esparza q. 20. D. 21. proponunt modum quendam explicandi actus Dei liberos veteribus non incognitum, sed novâ methodo illustratum.

SUPPONIT 1. Perez, hanc propositionem hanc n. 9. Quod formalitas actus divini liberi, ratione sui, non dicat perfectionem. Ratio, quia omnis perfectio præponderat suo contradictorio, nihilque valeret, si non præponderaret; ad eum modum, quo nihil valet medicamentum, si ejus sumptio in ordine ad sanitatem, non præponderat, ejus non sumptioni: At nulla terminatio divini actus ita præponderat suo contradictorio; æquale enim fuisset Deo nolle ac velle mundum &c.

SUPPONIT 2. Terminationem divinam liberam nullam dicere imperfectionem? Quia imperfectio entis est privatio perfectionis, quæ neque eminenter continetur; hoc autem non convenit terminationi liberæ divinæ: Est enim illa terminatio idē realiter cum essentia divina; quæ formaliter, aut eminenter, est omnis perfectio &c. unde præscindit actus liber à perfectione & imperfectione.

SUPPONIT 3. Terminationem liberam divinam, quantumvis adæquatē intrinsecam Deo, posse deficere diminutē, non verò simpliciter: Ad quod intelligendum, ponit, duplicem esse existentiam, aliam rei formaliter & virtualiter intrinsecē existentis in se, & hæc nullo modo distinguitur, ne virtualiter quidem intrinsecē à re

existente; alia existentia est, quæ res formaliter non est in se, sed in alio realiter, aut virtualiter intrinsecē distincto, & ita dicuntur res existere in causâ primâ &c. Ulterius adhuc ponit existentiam duplicem, primam existentiam diminutam, & secundum quid, & aliam existentiam simpliciter; Existentia simpliciter est illa, ratione cujus existit in se formaliter tota perfectio entitativa alicujus rei; existentia autem diminuta est, quæ existit aliquo modo, sed non ut ratione ipsius existat in se formaliter tota perfectio entitativa rei, quæ hoc modo existit; & ita cum homo existit in se, existit simpliciter; quando autem existit in suâ causâ, formâ, cognitione, existit diminutē, immo ita existens, potest nullam partem suæ perfectionis habere existentem in se. His &c. aliis præmissis

EXPLICANT actum Dei liberum, quod sit adæquatē intrinsecus Deo; ita tamen ut diminutē deficere possit, ratione diminutæ existentie; quamvis illa terminatio libera Divina, ratione Divinæ essentiae, neque possit deficere defectu opposito existentie simpliciter. Qui ulterius ipse actus liber, seu ut ipsi loquuntur, terminatio libera Divina, distinguitur virtualiter intrinsecē ab actu Dei necessario; quia quod potest esse & non esse, & illud quod non potest non esse, & quidem nemine cogitante; saltem virtualiter intrinsecē distinguuntur.

DICENDUM est. Prædicto modo non recte explicari actum Dei liberum.

PROBATUR 1. Tum, quia si terminatio Divina libera est adæquatē intrinseca Deo, vel dicit talem non nisi intrinsecitatem, qualiter dicitur relationem stare intrinsecē in fundamento, nec componi intrinsecē termino; & sic hæc sententia coincidet cum explicatione actus liberi Divini per connotata; & tamen non deberet coincidere, utpote singulare inventum: vel dicit talem intrinsecitatem, qualem dicit v. g. ratio animalis in homine, ratio boni in Ente, vel Deo &c. & sic inexplicabile erit, qui identificari possit Deo, realiter potens non existere, vel diminutē deficere. Quod sic aliter proponitur, quia & posset deficere diminutē illa terminatio Divina libera, ut supponitur; & non posset, quia ut est adhuc diminutē existens, est quid intrinsecum Deo; omne autem intrinsecum Deo, Deus est, consequenter defectibile non est. Unde valebit hic expository; Hæc Deitas deficere non potest ullo modo; Hæc terminatio libera secundum diminutam suam existentiam est hæc Deitas; Ergo hæc terminatio secundum diminutam existentiam, deficere non potest. Tum, quia quod diminutē deficere possit actus liber, nullibi probatur. Tum, quia non est explicabile, ratione cujus competat diminuta existentia alicui, quod est Deus; quod enim diminutē existat homo in causâ, formâ &c. capere possumus, sed unde terminationi liberæ dimi-